

Physiol. I. 34. +
320
DISPUTATIO PHYSIOLOGICA
DE

NATURA

ET IN SPECIE

HUMANA,

QUAM
SUB PRÆSIDIO
VIRI

EXCELLENTISS. EXPERIEN-
TISSIMIQUE,

CHRISTOPH. MART.
BURCHARDI,

MED. DOCT. ac PROF. PUBL. ORD. CELEBERRIMI,
PATRONI, EVERGETÆ ac PRÆCEPTORIS
fui nunquam non colendi, devenerandi,

Die XX. JUN. MDCCXXII.

PUBLICE IN AUDITORIO
HABENDAM

CONSCRIPSIT ET DEFENDENDAM SUSCEPIT

CAROLUS ZACHARIAS JULIUS,
ROSTOCHIENSIS.

Physiol. Rostochii, Typis Joh. Wepplingii, SERENISS. PRINC.
& UNIVERSIT. Typogr.

100,12.

V I R O

*Per-Illustri, Generosissimo, & Ex-
cellentissimo,*

**DN. JOANNI
AKLEIN,**

**S. R. MAJESTATIS REGINÆ
PRUSSIACÆ CONSILIARIO STATUS
INTIMO, SERENISSIMI ac POTENTISSIMI PRIN-
CIPIS MEGAPOLITANI CANCELLARIO EMI-
NENTISSIMO, CONSISTORII DUCALIS
PRÆSIDI INCLUTO,**

MUSARUM MÆCENATI,

PATRONO ^{SUO} SUMMO,

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

HAS DISPUTATORIAS
DE

NATURA HUMANA

pagellas,

Qualescunque studiorum suorum primitias,

ut

publice testatum faceret,

quam sanctum sibi sit

**MAGNUM KLEI-
NIANUM NOMEN,**

ea,

qua par est

animi devotione ac submissione

offert, dicat, consecrat,

TANTI NOMINIS,

Cultor ac

Clientis subjectissimus

JULIUS.

DE
NATURA
 ET QUIDEM
CAP. I.
DE NATURA
 IN GENERE.

§. I.



Il magis notum esse,

sæpiusque in ore versari, ipsius etiam vulgi, quam vocem Naturæ, omnibus liquet; quid autem hæc ipsa significet, de eo ne inter Eruditos quidem convenit. Plerique eam tanquam principium motus considerant, sed an passivum illud sit, an activum, & quidem vel materiale vel immateriale? non tantum dubitatur, sed acriter quoque a nonnullis disceptatur, ita ut quidem ab infestis verbis, ac sarcasticis dictis, Doctore publico indignis, temperare sibi nesciant, quibus diversum sentientes, cum rationibus non licet, vi ac obtorto quasi collo in suam rapere sententiam conantur. Non autem animus nobis est, opiniones Medicorum ac Philosophorum, ab antiquis temporibus, ad nostram usque ætatem proferre, cum pauca hujus dissertationis plagulæ hoc institutum non ferant, & hunc laborem jam ante 5. lustra peregerit Celeb. *Schellhamerus*, [†] Vir in Veterum æque ac Recentiorum lectione versatissimus, & in arte demon-

strandandi

[†] *Libro de Natura.*

strandī insigniter peritus. Et sane is, licet librum suum primariè opponeret sententiæ illorum, (†) qui DEUM tanquam unicum & immediatum motus principium introducere alloborabant, integrum tamen hoc argumentum ita penitus confecit, ut illis, qui rationum ipsius vim ac efficaciam ponderare dignantur, aut penetrare valent, dubium superesse nullum possit, quid sit Natura, & in specie Humana, & quo usque vires ejus se extendant.

§. 2. Sed ita ingenium plerorumque hominum comparatum est, ut novitatibus delectetur; & quemadmodum vestimentorum ratio omni tempore eadem non placet, ac amictus informis elegantiori, & ad decorem composito, ut plurimum præfertur, modo novus sit, & ex phantasia peregrinorum nupere prognatus; sic quoque idem fatum literarum ac artes liberales experiuntur, ut hominibus despectui sit, quod olim traditum, ac cæco impetu riant in recentiorum dogmata, modo novitate se commendent: Hinc cum circa exitum præcedentis seculi aliqui Naturam tanquam non-ens considerarent, omnesque effectus, qui alias naturæ adscribebantur, ab immediato DEI concursu pendere, vellent persuasum, ita ut ne ipsas humanas quidem & morales actiones exciperent; Sic contra præsens ætas in plane contrariam sententiam abit, & omnibus corporibus, certe animatis, Spiritum immaterialem præsidem affingit, naturæ nomine ipsis venientem, divina sapientia & potentia instructum, unde & essentia corporum, & motus, omnesque effectus unice pendeant.

§. 3. Primam opinionem impugnavit *Schelhamerus*, non equidem, ut *Illustri Sturmio* ægre faceret, nam eum semper magni æstimasse, ipse DN. PRÆSES testari potest; sed ut novum dogma, quod fundamentum totius Medicinæ subruere videbatur, everteret, idque tam feliciter tam solide præstitit, ut non tantum nullos amplius sectatores, quod sciam, in-

A 3

vene-

(†) *Vid. Boyle de Natura. Cordemoy dissert. de Anima. Malebranche Recherche de la Verité. Sturmio de Natura Idolo & alibi.*

venerit hæc sententia, sed ipse quoque *Sturmius*, qui suum peti latus existimabat, ne victus videretur, confiteri mallet, se idem cum *Schelhamero* sentire. Et sane, quid de *Celeb. Viro* dicam, nescio, nisi quod credam, eum potius nomen naturæ, quam ipsam rem, extirpatum voluisse. Tam opposita enim sunt, quæ de hoc argumento profert, ut quomodo conciliari possint, non videam: Mox enim *DEUM* solum, *unice*, & *immediate agere asserit*, ita ut natura ac corpora naturalia ne concurrere quidem, tanquam causa secunda, ad effectum dici queant. (†) Neque corporibus tantum hanc virtutem detrahit, sed ipsis quoque spiritibus creatis, adeo, ut cum *Cordemeo* ac *Malebranchio* nec anima rationali potestatem relinquat, suum movendi corpus. (††) Mox vero vicissim concedit, *DEUM* non concurrere ad quemlibet in specie effectum, sed sufficere legem a condito mundo latam, secundum quam qualibet corpora moveri debent, in certum finem. Legis enim hujus efficaciam consistere, in potentissima *DEI* voluntate, impressamque esse rebus naturalibus, quippe quæ propter materiam suam mobiles sint, propter formam vero & modificationem materiæ, aut dispositionem mechanicam, aptæ sint motum determinare ad certum finem, ut hoc aliquid, non aliud fiat. (†††) Hinc ne ipsum quidem generationis negotium immediatum *DEI* concursum requirere, concedit.

§. 4. Scilicet, evidentia rei, & veritate convictus, inesse corporibus principium motus, unde non tantum inter se differant, sed etiam unum quodque ad certus effectus, specificè producendos, aptum existat, confiteri cogitur. Verum mox recedens ab hac sententia, *DEUM* agere omnia immediate ac unice, ita ut creaturæ ne quidem ad effectum concurrant, asserit, seductus, ut mihi quidem videtur, ipsa definitione durationis, quam continuationem existentia, dicit: Cum enim continuationis vocabulum involvat activam quandam virtutem

(†) *Phys. Elect.* pag. 169. (††) *Cit. loc.* pag. 172.

(†††) *Cit. loc.* p. 164. it. 183.

t em, hinc concludit, durationem esse ipsam virtutem divinam, qua efficiat, ut per tot momenta corpora existere pergant, ita ut duratio corporis sit continua quasi ipsius creatio & reproductio. (*) Verum, quoniam falsa est durationis definitio, falsissimum quoque est, quod exinde infertur: Non enim duratio corporis, est activa continuatio existentiae, sed potius certa temporis mensura, existentiae ipsius respondens. Sic alia brevius, alia quam diutissime persistunt: quae durationis diversitas ex materiae fluit conditione, quam DEUS corporibus concessit, pro aeterno suo beneplacito. Succulenta enim corpora, quoniam ex particulis humidis & facile mobilibus constant, brevius plerumque durant, quoniam ne ipsius aëris injurias impune perferunt; hinc fluxilis est florum nitor, nec semestri tempus facile superant fructus horæi; contra vero quae ex terreis particulis, iisque inter se arcte combinatis ac compactis componuntur, ut metalla, item marmora lapidesque pretiosi, nisi ignem aut violentam manum experiantur, per tot secula imo millenarios perstant, ita ut tot Veterum Numismata, & integræ columnæ, nitidissimi marmoris, ex vetusta urbe Persepoli, in hunc usque diem supersint. Cum itaque duratio corporum unice pendeat a materiae conditione, falsissimumque sit, durationem involvere activam ipsius DEI virtutem, necessario quoque falsissima est consequentia, quam exinde postmodum deducit Celeb. Vir, quod motus sit nova quasi corporis reproductio in diversis locis, quaque propterea majorem virtutem presupponat, præ ista, quæ ex nihilo corpus semel, & in eodem loco producat.

§. 5. Quemadmodum enim duratio unice pendet à materiae conditione, sic motus corporum nihil aliud est, quam tendentia corporis ex uno loco in alium. Moventur enim corpora ex Legibus naturalibus, ita ut omne, in motu actuali constitutum, si impingat in alterum, quod vel pondere, vel virtute minus est, necessario id ipsum simul in motum abripiatur, & quidem talem, qui respondeat impulsui moventis. Si itaque ad motum corporum

(*) Cit. loc. p. 158.

porum concitandum non requiritur *concurrentis potentia Dei infinita*, ut ex falso præsuppositis Sturmius putat, nulla sane super est demonstrativa ratio, quæ animæ rationali virtutem denegare possit suum movendi corpus. Certe, si DEUS immediate hoc moveret, & si iste ex Lege semel lata *obstrictus* esset, *tales in corpore excitare motus, qui intentioni nostræ conveniant, quod Sturmius asserit, necessum quoque foret, ut effectus corporis semper ac exacte responderent voluntati nostræ.* Sic paralyti laborans membrorum usum ac functionem enixe desiderat, sed frustra; Senex decrepitus, juvenulam ducens, Veneris meditatatur prælia, sed plerumque in cassum; homo tenerioris constitutionis, si ipsi res est cum quadrato & robusto, athleticas vires optat, ut vincere inimicum queat, vel certe ipsi resistere: sed vana sine viribus ira. Itaque vel non immediate DEUS movet; vel non ultra vires corporum quicquam potest; vel denique non obstrictus est, ut intentioni mentis satisfaciat: Si primum admittere recusant, necessum est, ut vel 2dum vel 3tium concedant: si 2dum placet? DEUS & natura erunt unum idemque, quod impium: si vero 3tium præferunt, manifesto DEUS concurrat ad flagitia, parricidia, peccata sodomitica &c. si enim DEUS non semper obstrictus est, ex lege semel lata, intentioni mentis satisfacere, ita ut usum membrorum immediate & pro lubitu tollat, in istis etiam, quæ adhuc Reipublicæ cum fructu præesse possunt? ut vires deneget senibus in casto conjugio viventibus? certe à criminis reatu absolvi non posset, si immediate concurreret, & auxiliatrices manus daret istorum desideriiis, qui latrocinia meditantur, aut Venerem detestandam,

§. 6. Ut itaque nostra mens appareat, fatemur lubentes, materiam omnem, nullam omnino exceptam, sicut respectu creationis mere passive se habet, sic etiam respectu motus passivam omnino esse, adeoque nil possidere, nisi quod ipsi concessum voluit summum Numen. Postquam itaque Sapientissimus Conditor corpora mundi majora, aeri ætherique innatantia creavit, & motum ipsis indidit, aliis circulem,
aliis

aliis centram, non potuit non hinc motus perdurare in hoc usque tempus, cum nil extra mundum sit, quod corporibus istis resistere possit, nec sponte sua motum possint suffraginare, nec DEUS obsistat, quippe cujus velle idem nunc est, quod olim. Ipsum vero ætherem aëremque fluida corpora voluit, ut & cedere globis cœlestibus, & in locum ab ipsis relictum concedere essent apta. Hæc ergo fluida continuo moventur, eorumque essentia in eo consistit, ut qualibet eorum particula in motu actuali sint posita: si enim cohererent, aut inter se quiescerent, solida forent, non fluida. Hæc ipsa ergo cum in continuo motu sint, non spontaneo, sed necessario, qui ex totius substantia, & particularum modificatione fuit, necessario reliquam materiam omnem, motus susceptibilem, vicissim commovent. Est autem omnis materia mobilis, fluit e. hoc ex materiae essentia, ita ut materiale & mobile sint unum idemque, & inter se reciprocari possint. Hinc omnes mutationes, quas in globo nostro terraquo observamus, fluidis istis subtilissimis, aëri ac ætheri debentur: Præterquam e. quod ad intimos terræ, mariumque abyssos, ob particularum suarum tenuitatem, penetrant, [sunt e. omnia aeris ætherisque plena] & terræ motus, apta inventa materia, excitant; & maria commovent, eorumque lambunt superficiem, rapiendo secum in auras particulas aqueas tenuiores, quæ in nubes confluendo, graviores tandem evadunt, ut atmosphæra innatent; hinc eam premendo, ventos pariunt, donec tandem sub roris aut pluvie specie dilabantur, plantis, sitientique terræ solatium allaturæ. Sic porro & ignis, & pulveris pyrii virtus aeris influxu excitantur; Hoc ipso fermentationem suscipit mustum, ac reliqui humores vinosi; ut contra cadavera in putrilaginem abeunt. Sic quoque soni & colorum differentia hinc fluidis debentur, quamvis diffitendum non sit, solem quoque ad quasdam mutationes symbolam conferre, calore suo elasticam aeris virtutem augendo, luce vero ætherem vehementius impellendo. Hosce vero omnes effectus ab aere pendere, ipsa antlia pneumatica evincit, aut alia media, quibus

B

bus

bus aeris liberior affluxus potest arceri ; hinc nec pulvis pyrius in Vacuo accenditur, nec corruptionem contrahunt cadavera, si spiritu vini aut oleo perfundantur. Quis autem DEUM arceri posset, si iste omnia immediate ageret.

§. 7. Quemadmodum ergo aer & æther principium primum movens constituunt in istis corporibus, quæ inanimata dicuntur ; sic animata internum obtinent movens, ut plantæ & animalia, quod tamen annon ejusdem cum aere æthereque indolis sit, vel exinde colligere licet, quod id ipsum sine externis hisce fluidis subsistere nequit. Certe ipsi pisces, quamvis a commercio aeris liberioris videantur exclusi, eum tamen continuo cum ipsis aquis hauriunt, bronchiis suis instructi, quibus eum excipiant, & ab aquis fecernant ; Hinc in piscinis, crustam glaciale hyemali tempore contrahentibus, si vivida aqua non perluantur, aut spiraculum aliquod relinqvatur, pisces suffocati intereunt. Quamvis ergo animalia insita habeant principium movens, non tamen sponte id ipsum se movet, sed externo itidem motore indiget, quo & restituatur, quod forte consumtum, & reficiantur humoribus altius immersum suaque virtute elastica spoliatum. Iisdem quoque legibus obnoxius est homo licet Spiritu immateriali instructus : nam & ipsius principium vitale materiale existit, ut postea plenius apparebit ; Spiritus vero ille, non vitæ, sed mentis operationibus præest, immortalis, vitæque æternæ capax, immersus quidem materiæ, sed immaterialium scrutator, alligatus corpori, sed cælum meditatione petens, beatitudinis futuræ hereditatem spe præcipit, sed magnitudinem ejus ac felicitatem non capit, imbecillitatibus corporis impeditus, & sensualium objectorum idæis nimium adsvetus.

§. 8. Cum autem non sufficiat, DEUM condidisse materiam subtilissimam, in motu continuo constitutam, quæ globi terraquei partes (de reliquis e. nunc nobis sermo non est) vicissim agitet, hasque aptas reddidisse, ut mobiles sint, nisi prospexisset, ut ordine ac regulariter omnes mutationes fierent,
in

in finem a Summo Creatore destinatum, pro cuiusvis Natura, daß ein jedes sich bewege nach seiner Art. Hinc & alia causa secundae necessariae erant, pro diversitate corporum diversa, quae motum impressum determinant, ut effectus exurgat, secundum Leges naturales, intentioni Summi Numinis respondens. Subest e. eadem hic ratio, quam in artificialibus observamus, Automatis dictis; nam e. g. horologii fabricam non absolvit principium movens, lamina chalybea, elastica virtute praedita, sunt e. & alia, quae idem principium movens obtinent, sic nobis est instrumentum culinare, vertendis in veru ferculis destinatum, quod mediante tali lamina movetur; sic artifices parare norunt, quæursum, canem, aut aliud animal, non externa tantum figura repraesentant, sed etiam actiones quasdam imitantur: Et nuper ex Gallis relatum legimus, fuisse inter dona, Sponsæ Regiæ, ex Hispania advendenti, offerenda, artificialem puellam, quæ & ambulare, & submissa genuum flexione reverentiam occurrentibus exhibere potuerit. Hæ sane machinæ omnes nimium quantum inter se distant, seu figuram externam, seu operationes ac usum earum respicias; principium tamen movens unum idemque ipsis inest, lamina chalybea. Itaque quod in quolibet automato impetum moventis determinat ad certum finem, magis vel minus nobilem, intentioni artificis respondentem, in rotularum, aliarumque machinularum multitudine, varietate, situ, ac denique connexionem, sive in Legibus Mechanismi quaerendum.

§. 9. Sic etiam & corpora naturalia, sive idem principium movens internum, sive idem externum habeant, maxime inter se differunt, diversosque producunt effectus, dum motum impressum moderantur, ac specificè determinant ad finem à DEO præscriptum. Pendet autem specificus hicce effectus partim ab ipsa materiæ constitutione interna, partim ab externa ipsius conformatione. Sic e. g. animalia non ex una, sed variis materiis constant: Aliam enim obtinent ossa, duram rigidamque; aliam carnes, mollem flexilem, sed simul elastica

virtute præditam, ut extendi se patiantur, & se rursus constringant, quod etiam in demortuis manifeste apparet; alia denique præditi sunt nervi, & sic in cæteris. Ossa itaque animalibus fulcimentum præbent, quibus innituntur, & unde potissimum conformatio totius corporis pendet: hinc osse fracto, perit statim functio illius partis, cujus est, destituta quippe suo fulcimento. Carnes vero, sive muscoli, motus sunt instrumentum immediatum, ossibus quippe annexi, dum per vices se constringunt, & rursus relaxantur, ea commovent, antrosum, sursum, deorsum, pro diverso situ, quem obtinent, ac diversa cum ossibus connexionem. Nervi autem, ex tenuissimis filamentis compositi canales, ex cerebro ac medulla spinali adducunt primum illud movens, æreum æthereumque fluidum, quod carnes ad motum impellit. Et in hisce omnia animalia perfectiora, ipseque homo conveniunt: Quod autem alias operationes edunt volucres, alias quadrupedia, & horum genera subalterna vicissim a se invicem discrepant, non externa tantum figura, sed & operandi modo, à diversa ossium conformatione, quæ in qualibet animalis specie alia est, & musculorum magnitudine, figura, situ, ac connexionem potissimum pendet. Dico potissimum: adsunt e. in quibusdam etiam partes quædam externæ, instrumenta ministrantia, quæ operationes vel facilitant, vel sine quibus ad effectum deduci penitus non possunt. Sic alitibus pennæ sunt, quibus se in altum attollant; Piscibus pinnae, & vesicæ aëre plenæ, ut aquis libere innatent; Volucres aquatiles membranam pedibus interjectam habent, qua instar remigii utuntur; Felibus ungues adunca & acuta sunt, quibus insequi mures, ad supremas ædium contignationes, possunt, eosque quasi manu prehendere, & ex latibulis extrahere. Sed ut & ipsa corporis interna mechanica structura magis pateat, satis constat, robur leonis ab ossium brevitate partim, partim vero musculorum magnitudine profluere; quo plures enim fibræ carneæ in musculo adsunt, eo major quoque est ipsius virtus. Ut contra imbellia animalia, ut cervorum damarumque genus longifimis

simis pedibus instructa sunt, quo fugæ pernicitate præsentis periculo se eripiant. Apparet id quàm maximè in canibus, quorum variæ dantur species, cum corporis structura ac magnitudine, tum ipso quoque usu diversissimæ: Considerabimus duas tantum species, quarum altera Celerum nomen obtinuit, Germ: Die Windspiele / ob pedum corporisque longitudinem, & insequendis feris, & assequendis iisdem aptissima; altera vero illa, quæ pedes brevissimos ac varos nacta, Germ: Die Dachshunde / subeundis cryptis latibulisque Vulpecularum est idonea. Utraque species ex venaticorum est genere, verum si usum eorum, cui ex Legibus naturæ dicati sunt, invertere intendas, oleum ac operam perdes. Licet ergo canibus idem insit principium movens internum, organica tamen corporis partiumque conformatio modificat, ac specificè determinat motum impressum, ut effectus & finis immediate exinde consequatur, quem Sapientissimus Creator præfixit.

§. 10. Ex quibus perinde patet, quid sit, & in quo consistat Animalium Natura: Scil. in eo conveniunt omnia, quod internum habeant principium movens sensitivum; sed quoniam una animalis species ab altera Naturâ differre dicitur, & propterea ad plane diversos motus ac operationes est idonea, hinc differentia specificæ in conformatione instrumentorum, motuum, & sensibus immediate inservientium, est quærenda. Quapropter vani sunt, qui naturam considerant tanquam principium movens: Est ea potius principium motus τὸ κινῆσαι, tale scil. quod passivè operatur, & motum impressum specificè determinat ad finem; Si e. natura esset principium movens, inanimata sane non haberent naturam, quod absurdum; nullum e. corpus naturale datur natura destitutum: principium autem movens externum, illius, quod movetur, natura dici nequit. Quandoquidem ergo & inanimata suâ gaudent natura, quæ motum ab externo movente impressum itidem determinat ad certum finem, a DEO ordinatum, facile apparet, naturam cujusvis

corporis in ipsa materia, ejusque aptitudine, ac conformatione, s. modificatione esse quærendam.

§. 11. Hoc ut etiam in inanimatis clarius elucescat, in exemplum prodeant liquores heterogenei: Hi sane omnes transmutationem ex aere patiuntur: ea tamen, e.g. musti est conditio, ut in motum redactæ ipsius particulæ & sufficienter agitatae, in vinum abeant; contra vero juscula ex animalium carnibus, eisdem licet moventi exposita, & in motum redacta, putredinem ac fœtorem contrahant, nulli usui amplius apta. Ex his itaque apparet, unum idemque movens, diversos plane in diversis liquoribus producere effectus, non aliam ob causam, quam quod intrinseca cujusvis liquoris dispositio, particularum conformatio, ac proportio earundem, motum impressum specificè determinat, ut hoc aliquid, non aliud fiat. Atque hæc ipsa cujuslibet corporis dispositio, quæ specificè ad omnes effectus, qui cuilibet corpori proprii sunt, concurrunt, natura ipsius dicenda; constituitque principium motus non activum, sed passivum. Hoc ipse agnoscens *Celeb. Sturmius* expresse docet: *naturam cujuslibet corporis naturalis intrinsecam, nil aliud esse quam ipsam ejus formam, seu fabricam internam, seu dispositionem, ac texturam particularum propriam, in tali materia spectatam. Hanc enim fontem esse omnis mutationis aut mutabilitatis passivæ.* (†) Et alibi dicit: *hanc particularem cujusque corporis naturam, principium esse, τὸ κινῆσθαι simpliciter, ratione materia; (omnis enim materia mobilis est) τὸ κινῆσθαι πῶς, hoc vel illo modo, & non aliter, ratione formæ ac texture.* (††)

§. 12. Hæc cum ipse *Celeb. Vir* tradat, nescio cur tantopere exosum reddere studuerit naturæ nomen? nam quamvis facile largiamur, quod nemo præter DEUM corpora, eorumque effectus ad certum finem destinaverit, adeoque neminem etiam, præter ipsum Summum Conditorum, corpora & tali materia instruere potuisse, &

(†) *Vid. Phys. modernæ sanioris compendium p. 36.*

(††) *Dissert. de Natura in cassum &c. Cap. 2. §. 7.*

& tali forma, quæ ad producendum istum finem & specificè determinandum essent necessariæ. Concedendum tamen est necessario, effectus illos corporum non pendere *immediate* a DEO, sed potius ab ista cujuslibet corporis natura. Hinc non eliminanda ista erat ex foro Philosophico ac Medico: siquidem in causis allegandis non confugere licet ad DEUM, tanquam motorem primum, sed causæ immediatæ adducendæ sunt, seu active concurrant seu passive; sufficit enim, eas tales esse, ut effectus immediate ab illis pendeat, & sine illis produci naturaliter non possit iste.

§. 13. Dum itaq; toties reclamatione Illustr. Autor, & omnes mutationes immediate a DEO fieri contendit, ita ut ne quidem concurrere ad eandem creaturæ dici mereantur, latius abit, quam par est. Confundit enim contemplationes Metaphysicas cum Physicis: Physicus enim naturam corporum contemplatur, quidque agere, aut pati sint apta, causasque motus, ac mutationis immediatas, ac naturales inquirat. Atque hæc ipsa meditatio, quo longius procedit, eo magis mentem tandem instructam reddit, ut cum divo Apostolo perspiciat, id omne, quod universum hocce constituit, non esse a se ipso, sed ab alio, & quidem tali, quod non passive se habeat, sed summe activum sit, summe potens, summe sapiens, summumque bonum, adeoque supra naturam ac naturalem scientiam constitutum.

§. 14. Cum itaque contemplatio Summi Numinis non pertineat ad Physicam, sed Methaphysicam, confusionem sane disciplinarum pariunt isti, qui Creatorem cum creaturis, & Principium hujus universi, cum Natura confundunt. Sine necessitate itaque toties monet, *Ill. Sturmius*, corpora naturalia & esse suum, & motum, unice ac immediate habere a DEO. Neque attendendum, cum in excusationem suam affert, quod Medicorum Dieteriis offensus, eorum licentiæ occurrere necessum putaverit: non enim metuendum, ne in idololatriam aut atheismum incidant Medici, quando dicunt Naturam sapienter agere, nil frustra facere, semper quod optimum eligere,
provi-

providam denique esse Matrem, aliisque eam maectant elo-
 giis. Nam 1) rectissime loqvuntur, dum ad causas imme-
 diatas, seu principium internum motus, quod rebus naturali-
 bus inest, provocant. Quemadmodum enim de horologio
 recte dico, quod horas, earumque momenta accurate indicet,
 non vero artificem indicare horas per horologium; siquidem
 absens iste, aut saepe jam mortuus, non amplius ad istum ef-
 fectum concurrat; Sic etiam Naturae rectissime adscribuntur
 effectus naturales. 2) Quemadmodum nemo est, qui existi-
 met, horologium se ipsum produxisse, aut intellectum quen-
 dam possidere, secundum quem operetur, sed potius dexterit-
 tatem agnoscat artificis, qui mirum hocce opus ita construxit,
 ac talibus prospexit machinulis, ut effectum producere cogatur
 intentioni ipsius respondentem, & quidem ex necessitate Legum
 Mechanicarum; Sic etiam nemo Medicorum eo dementiae per-
 venit, ut corporibus adscribat sapientiam, sed agnosci-
 mus potius sapientiam Summi Conditoris ex ipsis corporibus
 naturalibus; nam illis revera inest mirus ille materiae modus,
 structura ac organica conformatio, unde effectus & operatio-
 nes immediate proficiscuntur, quae ipsis naturaliter compe-
 tunt; ita ut istae non possint non consequi, corporibus, eorum-
 ve organis in motum actumque deductis, & quidem ex ne-
 cessitate Legum naturalium, ipsis licet insciis, ac quid agant,
 imprudentibus. 3. Sicut horologium, aut aliud automaton,
 admodum imperfectum foret, si officium suum absolvere non
 posset, nisi Artifex semper concurreret, & immediate illud
 moveret, sic sane corpora naturalia impotentiam Summi Arti-
 ficis arguerent, si ad quemvis eorum effectum producendum,
 immediatus ipsius concursus foret necessarius. [4.] Si e.g. ma-
 nus & pedes immediate moveret DEUS? inutilis foret omnis tot
 musculorum, nervorum, tendinum, ossium, articulationumque
 apparatus, qui tamen & in demortuis quoque ostendit, in quem
 finem quodlibet organon sit constructum; nam alii muscoli
 sunt, qui v. g. digitos claudunt, alii, qui eos rursus extendunt,
 &c. ita ut hisce musculis in motum adductis, non possit non
 effectus

effectus consequi, quem Summum Numen præscripsit, & quidem ex ipsa fabricæ ac structuræ, sive Legum naturalium necessitate; Ut contra, dilacerato tali musculo, aut manu, digitisve distortis, perit actio & officium organi, vel certe vitatur, quod sane non fieret, si DEUS hic ageret immediate. [5] Denique, si ob metum Atheismi omnes effectus corporum naturalium immediate ad DEUM forent referendi, nec ulla ratio causarum naturalium habenda, dicere non amplius liceret: ignem urere, aquam humectare, purgantia alvum evacuare, ventriculum concoquere, &c. sed DEUM hæc omnia. Quis autem ferat hanc locutionem? DEUM in hoc agroto egregie alvum eduxisse per jalappam? certe, si hoc absurdum videtur? cavendum erit a sententiis, quæ ad absurdum ducunt.

§. 15. Est itaque corporibus insita illa virtus, ex qua operationes ipsorum immediate profluunt, in finem, à Summo Conditore præfixum, quemadmodum id ex ipsis Medicamentis apparet, non tantum diversa operandi ratione, sed gradu quoque ac efficacia inter se differentibus. Certe si DEUS immediate hic ageret, nec ad ipsa medicamenta esset attendendum, non posset ratio reddi, cur Euphorbium, Helleborus albus, Gummi Gutta, longe violentius & sæpe non sine vitæ periculo alvum educant, cum contra magis benigne hoc agant Aloe, Jalappa, fol. Sennæ &c. Non tamen eo procedit animus noster, ut concursum Summi Numinis in moralibus negemus, in conservatione, vel everfione Regnorum, præprimis ipsius Ecclesiæ suæ potentissimâ tutelâ. Imo nec ipsis medicamentis denegatam volumus Benedictionem divinam: præterquam enim quod in Medici potestate non semper sit, ut finem ultimum, sanitatem nimirum consequatur, etiam casus occurrunt, ubi ne quidem finem intermedium, sive certam operationem, quam medicamento applicatio producere debebat, acquirit; sic v. g. Purgantia nunquam degenerant in vomitoria; Clysteres per os redduntur; aut si per alvum redeunt, nil tamen secum educunt; Emplastrum Cantharidum vesicas non excitat; & sic in
C cæteris.

cæteris. In quo statu æger sane in summo versatur periculo, five quod DEUS virtutem subtrahat medicamentis, seu quod Natura ægroti adeo succumbat, ut in actum deducere medicamenta amplius nequeat. Id interim certum & perpetuum est, habere quodvis corpus naturale insitam suam virtutem seu Principium Motus, quod Natura Philosophis æque ac Medicis dicitur, non active quidem, multo minus cum proæresi effectum producat, sed motum determinans ad certum finem, & quidem ex necessitate ipsius materiæ, ejusque modi, ac conformationis. Quod cum in præcedentibus tam clare ac perspicue demonstratum sit, ut etiam ab istis, qui in hoc argumento non satis sunt versati, abunde intelligi queat, nunc tandem ad ipsam Definitionem Naturæ in genere accedimus, eamque optime à Cel. Schelhamero traditam, huc revocamus, nostramque facimus: Esse scilicet *Complexum Legum, à condito mundo corporibus inditarum, secundum quas, unum quodque eorum moveri debet, in certum finem.*

Cap. II.

DE

NATURA HUMANA

IN SPECIE.

§. I.

QUAMVIS hæc, quæ de Natura in genere a nobis in medium prolata sunt, aliena a scopo Medicorum videri possint, monenda tamen prius duximus, quoniam 1) Medicis non cum corpore humano tantum res est, sed cum variis aliis rebus naturalibus, quibus tanquam instrumentis ad exercendam artem utuntur 2) Longe facilius

facilius apparebit, quid de Natura Humana judicandum, postquam eam in genere sumus contemplati: Universalium enim scientia majori certitudine animum imbuit, ut de specialibus eo facilius ferat judicium; quod sane nunc eo magis erat necessarium, postquam, rejectis Veterum placitis, & principiis sanioris Philosophiæ posthabitis, nova plane de Natura Humana dogmata traduntur. Quæ cum ad confundendos juvenum animos, & certitudinem omnem medicam tollendam faciant, operæ pretium judicavimus in hæc ipsa inquirere, & an cum veritate stare possint, sine ullo partium studio indagare.

§. 2. Antequam tamen id fiat, Neotericorum sententia in medium adducenda, & quænam ad stabiliendam thesin, aut illustrandam, Autores afferunt, recensenda. Docent itaque, *Animam Rationalem, & Naturam Humanam, esse unum idemque; Naturam enim Humanam esse principium activum, quod mediante motu operetur; Cum autem motus sit res immaterialis, hinc necessario supponendum principium immateriale sive Spiritum; Nullum autem spiritum in corpore adesse, præter animam rationalem; Itaque ne ipsos quidem actus corporis vitales, chylicationem, sanguificationem, nutritionem &c. excipiunt, licet non sint in nostra potestate: nam cum operationes istæ propter certum finem instituantur, & secundum rectam rationem producantur, necessario agnoscendum esse principium movens rationale, cum nullum aliud propter finem agere possit.* Ne autem huic doctrinæ obstaculum aliquod afferant brutorum corpora, quippe quæ multas operationes cum nostris convenientes exercent; hinc & ipsis animam rationalem ac immaterialem inesse contendunt.

§. 3. Sed, quod pace tantorum virorum dixerim, multa hic gratis supponunt, quæ partim manifesto falsa, partim majorem elucidationem postulant: Non enim conclusiones formandæ sunt sine præmissis, nec axiomatum loco habenda, in quibus desideratur id ipsum, quod petebatur in principio. Et sane, quod primum assertum attinet, naturam humanam ac animam rationalem esse unum idemque, im-

pingit illud multis modis in veræ ac sanioris Philosophiæ principia; nam *Primo* cum naturæ vocabulum generale sit, & ad omnia corpora naturalia se extendat, non potest id ipsum in homine aliam significationem obtinere, aliam vero in reliquis corporibus inanimatis; nam & inanimata suam Naturam habent: Si autem natura est principium movens immateriale, sequeretur, inanimata vel non habere Naturam, vel & ipsis animam rationalem esse concedendam, quod utrumque absurdum. Quodsi ergo inanimatorum Natura consistit in dispositione ac modificatione materiæ, ex qua concreta sunt, necessum quoque erit, ut & animatorum, adeoque & ipsius hominis Natura consistat in certa corporis partiumque omnium conformatione organica, quæ ad rō esse hominis & cujusvis animalis requiritur. Non tamen negamus, animam rationalem simul ad essentialē hominis pertinere; Sed aliud est pertinere ad Naturam humanam, aliud vero, eandem absolvere.

§. 4. *Secundo* Dum animam rationalem Naturam humanam dicunt, manifesto confundunt objecta Pnevmatice cum objectis Physice: Naturæ enim rerum, & quælibet naturalia mutationi sunt obnoxia, & Physicus ea considerat, quatenus sunt mutabilia, id quod formale objecti Philosophi dicunt: Itaque & Naturam humanam contemplatur Physicus, quatenus est mutabilis. Quo posito, Natura humana, & anima rationalis non potest esse unum idemque; Spiritus enim immaterialis neque incrementa neque decrementa patitur, nisi materialem eundem, adeoque & corruptibilem animam nostram tacite volumus insinuare. Et sane necessum erit, ut tandem eo deveniant novi dogmatis autores: Hinc unus eorum ante quatuor forte annos confiteri in publico scripto non dubitat, animam rationalem in capite truncatis dividi, ut aliqua ejus pars in capite, altera vero in trunco paulisper persistat, & quosdam motus adhuc peragat. Si itaque divisibilis anima rationalis, necessario foret materialis. Sed mittimus hanc sententiam, quoniam ad præsentem scopum nil facit.

§. 5. Eo

§. 5. Eo enim tendit præfens nostrum institutum, ut appareat, Animam rationalem non esse Naturam humanam, nec omnes operationes, quæ in corpore contingunt, ab anima rationali produci. Nam, si in corpore e. g. canino, inclusa esset anima rationalis, non possem dicere, canem gaudere humana natura, quod tamen necessario dicendum foret, si anima rationalis esset Natura humana. Neque obstat nostro exemplo, impossibile esse, animam rationalem cum corpore canino jungi; loquimur enim hic ex Recentiorum hypothese, qui non tantum animalibus perfectioribus, sed ipsis quoque infectis animam rationalem & immaterialem inesse contendunt. Quemadmodum itaque, (si hoc istis tantisper concedamus,) canis, anima rationali præditus, non gaudet Natura humana; sic necessario sequitur, principium primum movens non constituere Naturam, vel canis, vel hominis, sed requiritalem conformationem totius corporis, ac partium omnium organicam dispositionem, quæ principio moventi respondeat, ut intentionem animæ in actum deducere, motumque impressum ad certum finem, a DEO præfixum, specificè determinare possit. Atque hinc est, quod & ipsa bruta, licet idem principium movens, & ejusdem conditionis obtineant, [†] Naturâ tamen quam maxime inter se differere dicuntur. Hæc autem differentia non nisi in organica totius ac omnium partium conformatione quærenda. Si autem in brutis conformatio corporis est attendenda, necessario quoque & Natura humana exinde potissimum deducenda. Præterea negari nequit, id omne ad naturam humanam pertinere, de quo τὸ naturale in homine prædicatur. Naturale autem dicimus, & omnia secundum naturam se habere, si omnes corporis humani partes in justo numero, quantitate, figura, situ &c. adsint: Ergo necessario minima quælibet ejus pars, quæ certam functionem habet, ad naturam humanam pertinet, adeoque sola anima rationalis naturam humanam absolvere non potest. Neque audiendi, quando opponunt, quod

C 3

ex

[†] *vid. supra Cap. 1, §. 9.*

ex his principiis fluat, hominem mutilum non habere humanam naturam; qui enim hoc objiciunt, non distinguere norunt inter naturam totius, & partis, nam si digitus unus aut alter deficiat, aut manus distorta sit, ita, ut operationes naturales exerceri nequeant, tunc omnino recte dico, manum istam non gaudere sua Natura.

§. 6. Sed ut magis elucescat error, considerandum porro, & ipsos homines inter se differre Natura, id quod ipsi dogmatis hujus fautores aperte tradunt, dum alium Natura Sanguineum, alium Phlegmaticum, alium Cholericum, ac denique Melancholicum dicunt, qua ipsa distinctione inscū sane admittunt, corporis humani fabricam simul sub voce Naturæ comprehendī: Animam enim rationalem sanguineæ aut Phlegmaticæ constitutionis esse, quis asserere audeat? Fatentur potius omnes hujus sententiæ patroni, pro diversa corporis dispositione, ac temperamenti varietate, alium ac diversum esse sanguinis motum, & quidem talem qui respondeat corporis ac humorum proportioni: Sic e.g. Cum in Melancholicis sanguis crassiorem consistentiam habeat, ita ut per poros partium solidarum satis expedite transire nequeat, hinc in istis pulsus cordis esse lentum, at validum. In Cholericis contra, ob tenuitatem sanguinis & poros satis patulos, pulsus magis celerem observari ac frequentem. Nonne autem sic inviti coguntur agnoscere, Naturam hominis potissimum in corporis dispositione esse quærendam, cum corpus hic constituat illud principium motus passivum, quod motum, ab anima impressum, specificè determinet, ut hoc aliquid, non aliud fiat?

§. 7. Sed jam porro indagandum, an Natura humana sit principium activum? apparebit vero ex dictis, quod hominis Natura sit & activum quid, & passivum simul. Agit anima, & motum imprimit, sed determinat ac modificat impetum ejusdem corporis nostri dispositio. Ea enim partium omnium conformatio est, ac mechanica quasi structura, ut eam perlustrantibus statim in oculos incurrat, ad quas-
nam

nam operationes una quævis apta fit, ita, ut si in actum deducatur, effectus a DEO præscriptus non possit non consequi, ipsis partibus, licet insciis, & ad operationem non nisi passive concurrentibus. Id quod ipse gentilis Medicus, Galenus, dignoscens, in partium corporis humani perlustratione, se continere non potest, quin toties exclamet, & non sine admiratione extollat Supremi Artificis sapientiam, in Libris de Usu partium corporis humani, dignissimis sane, qui à quolibet inspiciantur. Quemadmodum itaque hæc justa & naturalis corporis conformatio in causa est, ut recte in corpore peragantur omnia; sic contra, si non rite se habet, vitiatur statim actio, vel tollitur penitus. Sic vari ac valgi erectis clunibus incedere nequeunt, licet anima impulsum rite administret. Sic porro & ventriculi imbecillitas, ex Tono destructo, seu fibrarum laxitate perveniens, non rite concoquit, vel certe chylum non rite propellit ad intestina, ob robur deficiens, sed semper aliquid, post chylicationem peractam, in fundo relinquit, quod non tantum visciditatem, sed etiam acrimoniam acidam ipsa mora contrahit, & flatulentis exhalationibus ansam præbet &c. ut in hypochondriacis observamus, licet anima enixe desideret, ut chylicationis negotium rite administretur. Hinc contrariæ sententiæ patronis veritatem exprimit ipsa rei evidentia, dum in hominibus inesse dicunt naturale & connatum robur, vel imbecillitatem v. g. ventriculi; hæreditariam dispositionem ad calculum; ad Phytysin &c. Estne vero hæc naturalis dispositio in anima, an potius in corpore? Si itaque in corpore est, & homines tandem prædictis morbis corripuntur? invita licet anima rationali? fateantur necesse est, corpus humanum modificare, ac specificè determinare actus animæ, ut hoc ipsum eveniat, quod dispositioni corporis respondet, adeoque naturam humanam esse principium activum & passivum simul.

§. 8. Itaque ex his constare potest, Animam rationalem non esse naturam humanam, cum hæc non sit principium movens, sed potius principium motus: nam quemadmodum

in

in horologio mechanismus omnium partium motum, a lamina chalybea impressum moderatur ad intentionem artificis, sic organica corporis dispositio impulsim animæ specificè determinat ad intentionem Summi Numinis. Sed jam porro inquirendum est, an anima rationalis sit principium primum movens omnium actionum, quæ in corpore humano observantur? ut quidam Medicorum nobis persuadere conantur, aut potius obtrudere. Non loquimur autem hic de motibus corporis voluntariis dictis, nam eos a voluntate nostra seu anima rationali pendere, apud omnes Medicos in confesso est. Hoc vero nunc quaeritur, an ipsa vita, chylicationis negotium, ac chyli distributio, sanguificatio, nutritio &c. quæ alias operationes naturales vel vitales dicuntur, ab animæ rationalis imperio pendeant? Id quod Neoterici isti audacter asserunt, aut sicut ipsis placet demonstrant, sed ex principiis, quæ nemo, præter ipsos admittit.

§. 9. Præterquam autem, quod hoc dogma Sacræ scripturæ manifesto vim infert, etiam repugnat principiis sanioris Philosophiæ. Saniores autem dicimus eam, cujus principia universalis Phænomenis naturalibus non tantum non repugnant, sed & iisdem explicandis sufficiunt. An autem hæc nova doctrina talia principia afferat, ut instar axiomatum possint haberi, mox apparebit. Et 1) quidem vitam ipsam, & vitales motus ab anima rationali pendere, Scripturæ contrariatur; nam & bruta vivunt, licet anima rationali seu immateriali destituta, & horum vitam in sanguine consistere, & sanguinem esse Animam, illic edocemur. Provocant e quidem ad I. Genes. v. ult. quod DEUS Adamo indiderit spiritum vivificum: Cum autem hominis vita exinde pendeat, hinc & ipsis brutis inesse immateriale principium contendunt. Sed quod locum istum adductum attinet, non dicit iste, quod spiritus vivificus, seu vitæ naturalis autor, corpori Adami inditus sit, sed potius immortalis, & hinc hominem factum esse Animam Immortalem, seu æternæ viventem. Quod autem brutis talis spiritus sit inditus, nullibi exstat, & vanam esse hanc assertionem, exinde

exinde sufficienter constare posset, quod DEUS condiderit hominem ad sui imaginem : imago vero non in corporis forma quaerenda, sed in Spiritu isto immateriali, suis donis instructo. Si autem & bruta haberent spiritum immaterialem, sequeretur, & hæc ad imaginem DEI facta esse : Quod cum absurdum dictu sit, agnoscant Neoterici nostri, aberrasse a vero, cum ex propositione vera, absurda conclusio consequi nequeat. Præterea Numen Summum toties declarat, Sanguinem esse principium vitæ in animalibus, five Sangvinem esse ipsam Animam : Sic Levit. 17. tribus vicibus idem asseritur, ut propterea eo minus de divino effato ac genuino ejus sensu dubitare liceat. Sed ne aliquod dubium restet, Deuter. 12. v. 23. legimus : *Denn das Blut ist die Seele/ darüm solt du die Seele nicht mit dem Fleisch essen.* Qvi autem comedere poterunt animam, si anima vitalis est spiritus quidam immaterialis ?

§. 10. Sanguis ergo est principium vitæ in animalibus brutis, non anima quædam immaterialis. An autem & in homine sanguis vitæ principium sit, multi sunt qui dubitant, cum in sacris literis non expresse id doceatur. Videtur tamen id colligi posse exinde, quod DEUS Gen. 4. v. 10. dicit, Sanguinem Abelis vindictam postulasse, & quod mox v. 11. terræ maledictionem comminatur, quæ sanguinem Abelis hauserit. Magis manifesto vero id apparet ex Ecclesiast. Cap. III. v. 19. ubi hæc leguntur. *Den es gehet dem Menschen / wie dem Vieh / wie diß stirbt NB. so stirbt Er auch / und haben alle einerley Odem / und der Mensch hat nichts mehr / den das Vieh / den es ist alles eitel.* 20. *Es fähret alles an einen Ort / es ist alles von Staub gemacht / und wird wieder zu Staub.* Apparet sane ex hisce, Spiritum S. expresse docere, Animam rationalem, non esse principium vitale : Hæc enim in pulverem redigi nequit ; Principium autem vitale in pulverem redigitur, adeoque materiale est, & *quidem unum idemque cum brutorum isto, Sanguis nimirum, fluido aëreo, in motu vitali conservandus.* Quod autem subjungit, *hominem nihil amplius obtinere, subintelligendum, quod ad vitam*

D

sustentat

sustentandam facit. Postquam enim hoc omne corruptibile & materiale esseruerat, animam rationalem ab ista corruptione immunem prædicat, & quidem. Cap. XII. v. 7. **Den der Staub muß wieder zur Erden kommen / wie Er gewesen ist / und NB. Der Geist wieder zu Gott/der Jhn gegeben hat.** Certi itaque exinde esse possumus, etiam ipsam hominis vitam in sanguine latere, in primis, cum non tantum experientia, sed ipsa recta ratio id fradeat. Constat autem non unico, sed infinitis exemplis, homines non sine sanguine, imo ne quidem sine sufficienti ipsius copia vivere posse, ita ut anima rationalis etiam invita emigrare e corpore cogatur, postquam vitale principium corpori subtractum. Præterea cum in homine, æque ac in reliquis animalibus brutis, non tantum sanguis, sed reliqua organa quævis, quæ partim ad motum sanguinis promovendum, partim ad ipsum sanguificationis negotium faciunt, inveniuntur, non frustra hæc omnia in corpore humano adesse, sed quemadmodum in animalibus brutis vitæ inserviunt, sic idem in corpore humano præstare, recta ratio evincit. Nunquam enim causæ obscuræ allegandæ, aut e longinquo arcessendæ, ubi manifestæ & propinquæ adsunt. Et sane non dubitare de hac re nobis finit Sphacelus, **der kalte Brand** / qui nil aliud est, quam plenaria sanguinis in parte quadam subsistentia, unde statim mors partis, & mox ipsa putredo, cum summo fœtore conjuncta, licet anima rationalis in corpore præfens sit: ut adeo exinde elucescat, vitam pendere a causis materialibus, & in sanguine, ejusque continuo per omnes partes motu consistere.

§. II. Sed dicunt, animam rationalem esse principium hujus motus primarium, cum sanguis semet ipsum movere nequeat. Sed i.) quæro: quodnam principium in brutis sanguinem moveat? nam spiritum immaterialem ipsis inesse, non sine absurditate dici potest. (†) Deinde facile quidem concesserim, sanguinem se ipsum movere non posse, sed adesse in corpore humano, æque ac brutorum, varia organa ac machi-

(†) *Vid. §. 9.*

machinas, quæ eum promoveant, ut ex corde ad omnes partes, & ab his versus cor, jugi & continuo motu, per aptos canales feratur. Quemadmodum autem cordi principatus hic facile competit, si ad motum hunc localem & circulatorium unice attendas; Sic quod intestinum sanguinis omniumque particularum motum attinet, sine quo localis iste exerceri nequit, in partes arcessendus est aër, ipseque sine dubio æther, (cum unus sine altero nullibi existat) respiratione & pulmonum ministerio excipiendi, sanguinique communicandi; atque hinc est, quod subtracto per antliam pneumaticam aëre, animalcula in vacuo pereunt. Fatemur quoque lubentes, machinas istas omnes, quæ huic fini inserviunt, ne ipsas quidem se sponte movere, sed in motu sustentari ab anima, ceu primo movente. Sed nondum accedere possum opinioni, quæ hanc dicit animam rationalem, seu immaterialem: Mihi potius arridet illorum placitum, quæ materialem hanc volunt, & quidem eam ipsam, quæ in animalibus brutis sensibus ac motui præest, quæque non ex proæresi, aut libero arbitrio movet, sed ex necessitate, quam Leges naturales, ex instituto Summi Numinis, præscribunt, quæque propterea ipsa nesciat, quid agat, aut cur operetur, subtilissimum nempe Cerebri ac Nervorum fluidum, Spirituum animalium nomine nunc veniens. Qui enim anima rationalis motibus vitalibus ac naturalibus præesse possit, ita ut secundum rationem & cum proæresi hic agat, cum ipsa neque organorum, neque actuum vitalium, ullam habeat notitiam? Qui moderaretur sanguinis circulum, aut chylicationis negotium, cum in ipsius potestate non sit, ut rite hæc omnia procedant? Certe, si animæ rationalis hæc officia essent, in potestate nostra semper foret, optime cibos concoquere, rite distribuere chylum, corporis longitudinem ad certam extendere mensuram, illudque succiplenum reddere, non tanquam in saginatis, sed usque ad elegantiam. Quid quæso virginibus juvenculis, quæ corporis student decori, gratius evenire posset, quam si liceret

pro lubitu nutritionis negotium moderari, ne quid forte quibusdam in partibus deficiat, in aliis vero nimium abundet? Certe, cum hæc à voluntate nostra non pendeant, animam rationalem eorum autorem non esse, tuto concludimus.

§. 12. Sed instant animam rationalem *noscere omnino suum corpus, & præesse actibus vitalibus, non habere autem ideas de hisce, cum ideas acquirere non possit nisi per sensus. Non autem eam agere cum ratione, sed secundum rationem; non enim in ipsius arbitrio esse, pro lubitu motus vitales variare, sed secundum leges a DEO præscriptas.* Hæc cum ex Autoribus nostris adduco, hæret animus, an refutanda suscipiam, an iudicio lectoris relinquenda; siquidem talia sunt, quæ sponte vanitatem suam produunt. Qvi enim cum Proæresi agere potest Anima, si non agit cum ratione? aut si coacta agit? Verum, quoniam novæ hypotheseos Patroni existimant, magnum inesse hisce assertis robur, nostrarum partium esse duximus, ad rationis trutinam ea paucis revocare. Et animam quidem rationalem noscere corpus suum, quo argumento probant? Nullo: Itaque, qua facilitate hoc asseritur, eadem quoque negatur, imprimis, cum nemo hominum sit, qui corporis sui & quid intus geratur, notitiam habeat, nisi per Anatomiam sibi eam acquirat. Quod autem ad stabiliendam thesin subjungunt, animam non habere ideas hujus notitiæ, cum idææ unice per sensuum ministeria acquirendæ sint, tantum abest, ut pro ipsis militet, quin potius vanum esse totum hocce dogma omnibus, facile persuadeat. Convenio enim facile in eo cum ipsis, animam nullas idæas obtinere, nisi sensuum ope communicatas, & quæ deinde ex hisce per bonam consequentiam, seu ratiocinationem, colliguntur, ut sunt Conclusiones, & Axiomata universalia. Quoniam itaque anima, mediantibus sensibus, ad corporis interna, & quid illic fiat, penetrare nequit; hinc etiam de corpore, & quomodo vitales actiones peraguntur, nullas idæas nullamque obtinet notitiam. Hæc conclusio recte se habet. adeoque nunc in asserto adversario-

fariorum, *animam nempe habere sui corporis perfectam notitiam, & præesse actibus vitalibus, desideratur denuo id, quod in principio petebatur.*

§. 13. Putant equidem se invenisse argumentum demonstrativum, ut loquuntur, suæ assertionis, cum dicunt, *Animam rationalem esse Spiritum*: cum autem in utero nullam adhuc intelligentiam habeat de rebus, quæ postmodum per sensus ac informationem addiscendæ sunt, *hinc necessario sequi, Animam habere notitiam construendi corpus suum, & propterea etiam postmodum per totam vitam actibus vitalibus præesse.* Verum enim vero, nulla hic datur inter antecedens, & consequens connexionis necessitas. Nam 1. non sequitur, Anima est Ens intelligens, Ergo eam pollere notitia suum fabricandi corpus, alias enim & Angeli, ac Dæmones possent formare corpora Humana, cujusmodi tamen structura longissime superat Entis finiti potentiam. 2. Anima prior foret corpore, quod rectæ rationi adversatur. Est enim spiritus corpori alligatus, & quidem organico, tali, quod operationibus ipsius respondet: Unde cum corpus definit, tale esse, in libertatem se statim vindicat. Si autem in utero Embryonis corpusculum aptum non adest? non potest anima illic subsistere; si autem jam adest? Anima non potest dici Conditor ejus, quod vel ante eam adfuit, vel simul cum ipsa, ex Legibus Summi Creatoris, existere incepit. 3. Anima rationalis talis spiritus est, qui ne actus quidem Mentis solitarie peragit, sed corporis sui adminiculis indiget, quemadmodum id ex Somno, Melancholia, Furore, Ebrietate, ac denique stupiditate naturali, sive connata, manifestissime apparet. Sunt enim hæc omnia affectiones corporis, quoniam primo in ipsis brutis percipiuntur, nam & hæc rabie afficiuntur, & ebrietate. Deinde spiritum immaterialem somno indulgere, deliriis, ebrietate, aut stupiditate laborare, quis asserere audeat? Itaque cum Anima rat: sine corporis adminiculo nil possit, impossibile est, eam in utero habere intelligentiam, cum corpus ad actus mentis exercendos nondum sit aptum. 4. Structura Corporis

humani longissime superat ingenium ac vires humanas, si enim ne unicum digiti articulum, à toto separatum, restituere, aut in deperditi locum, novum substituere valet Anima rationalis, multo minus totam hanc mirabilem compagem formare ipsius respondet viribus. 5. Si Anima Embryonis, ut Ens intelligens, destituta esse potest intelligentia actuali de DEO, omnibusque rebus, postmodum demum addiscendis, nil ipsius Essentiæ decedet, si eam quoque intelligentia construendi suum corpus destitutam dicimus. 6. Intelligentias Animæ tribuere, de quibus ipsi nil constat, rectæ rationi adversatur. 7. Si asserere licet, Animam possidere intelligentiam, sine intelligentiæ illius notitia? Licebit quoque cum Platone omnium rerum idæas Animæ tribuere, post modum per objecta excitandas. 8. Si anima obtinere posset intelligentiam, ita ut ipsi nil de ea constet? impossibile tamen foret, cum Proæresi, actus circa vitale negotium, ut Vomitus, Diarrhæas, Hæmorrhagias, &c. ex hac intelligentia fluentes, instituire [quod Neoterici asserunt] sine ulla consilii concepti, & ad finem deducti, notitia. 9. Si vero, [ut alibi se explicant] Anima non facit Syllogismum, sed coacte, & ex necessitate hic agit, ex Legibus, a Summo Conditoris præscriptis? non potest dici quod agat ex Proæresi, sive ex præconcepto consilio, ac deliberato animo: Misere itaque sibi contradicunt, nec necesse amplius erit, ad fœtus formationem, & actus vitales exercendos, Ens rationale in partes vocare, cum Leges divinæ, ex potentissima, ac efficaci Conditoris voluntate fluentes, secundum quas omnia ordine, ac ex necessitate moventur, & conservantur, sufficient. 10. Tandem denique, multa in corpore contingunt, quæ recta ratio non approbat, adeoque fiunt invita anima rationali, ut difformitas corporis, nimia obesitas, aut atrophia &c. hinc recte concludimus, animam rationalem horum actuum non esse autorem. Quod autem excipiunt, Animam hic non agere, quatenus est rationalis, sed quatenus est vitæ Præses, vanum est. Non potest enim anima, eodem tempore, plane contrarias habere voluntates, ut aliud secundum rectam rationem in corpore

pore

pore fieri velit, aliud vero in detrimentum corporis ipsa statuat. *Impossibile enim, idem simul esse & non esse, eodem tempore.* Cuilibet itaque ex his constare potest, quam vanum sit dogma hocce Recentiorum, utpote quod non tantum miseris & præcariis nititur principiis, sed etiam contradictoriis, quodque propterea rectæ rationi, ac experientiæ adversatur, & genuina Philosophiæ, æque ac Medicinæ principia subvertit, ita, ut verendum sit, *ne omnis nostra scientia spiritiuosa tandem fiat, h. e. evanescat in auras, & juga Parnassi circumvolitet sicut umbra,* verba sunt *Celeb. Schelhameri.* (†)

§. 14. Non tamen propterea negamus, actus vitales institui *secundum rectam rationem*, imo concedimus potius, ea, quæ ad hunc finem in corpore fiunt, superare infinite omnem humanam sapientiam, omnem mortalium industriam. Licet enim machinæ, mediantibus quibus hæc peraguntur, nobis per Anatomicorum industriam perspectæ sint, operandi tamen ratio in plerisque adeo omnem sensum fugit, ut intellectus eo penetrare nequeat: Quæ etiam causa est, quod adhuc de istis litigamus, & quod non plenarie exhausta est hæc Philosophiæ naturalis pars, vel non satis manifestæ rationes suppetunt, quæ omnibus, ut idem sentiant, persuadere possunt. Dum itaque in hæc mysteria perspicere non licet humanis mentibus, nec actus vitales in nostra potestate sunt, incongruum omnino est, animæ rationali eas operationes adscribere, quæ captum ipsius & potestatem longissime superant. Potius ex mirabili corporis humani structura, & ipsius operationibus, quæ ex hac organica, seu mechanica conformatione, profluunt, cum ipso *Galeno* agnoscimus, ac veneramur Summi Conditoris sapientiam, qui, quemadmodum corpus humanum ad certum finem ordinavit, sic etiam istiusmodi machinis illud tam sapienter prospexit, ut ex ipsa earum conformatione effectus necessario consequantur. Non aliter ac in horologio machinulæ adsunt, cum magnitudine, tum ipsa conformatione inter se differentes,

(†) *Libr. de Natura 2 p. 141.*

tes, quæ, licet ab eodem movente & quidem materiali, omnes impellantur, non tamen virtute tantum, sed etiam ipso motu inter se distant, ita ut quædam tam imperceptibilem illum habeant, ut visu dignosci nequeat; aliæ contra magis manifeste, quædam vero celerrime circumgyrentur: Interim omnes ita inter se conspirant, ut effectus exurgat, intentioni artificis respondens.

§. 15. Cum ergo corpora brutorum, ipsumque humanum suis organis, fere ad mechanicam rationem conformatis, instructa sint, ita ut ex qualibet cujusvis partis fabrica sponte elucescat, in quem finem, & ad quos actus vitales exercendos, (de iis enim nunc nobis sermo est) a Summo Creatore condita sit, alienum a recta ratione putamus, a mechanismo corporum, ac organorum fabricis, tanquam causis manifestis, & immediatis, confugere ad causas obscuras; eaque, quæ non nisi a DEI infinita sapientia proficisci primitus potuere, ut sunt ipsa organica dispositio partium, & finis, propter quem hæc conformatio est producta, mentibus finitis, & intellectu admodum limitato gaudentibus, adscribere velle. Certe, cum hæctenus nil a parte adversa allatum sit, quod receptam sententiam destruere possit, nisi forte similia longe petita, aut nudas assertiones, loco argumentorum apodicticorum admittere quis velit, inconcussa perstat Sententia, quæ actus vitales ex corporis mechanica, seu organica conformatione, & fluidorum per solida motu, deducit. Quemadmodum enim hæc machina ex immenso sapientiæ divinæ fonte profluxit, solaque sufficit, ut actus vitales rite absolvantur; sic primario quoque Medicis venit attendenda, cum exinde fundamentum totius Physiologiæ ac Pathologiæ hauriendum sit. Quandoquidem ergo organa, quæ actus vitales exercent, solius Mechanismi ope, finem, a Deo præfixum, exsequuntur, ita ut illis in actum deductis iste non possit non consequi, non necesse erat, hisce præficere spiritum immaterialem, ex proæresistente agentem, cum hæc organa non ex nostro arbitrio regenda erant, sed secundum ordinem ac finem a Deo præscriptum.

Suffic:

Sufficiebat itaque, ut mediantibus certis fluidis materialibus, Sangvine nimirum, & Fluido subtilissimo nerveo, non sponte, non pro arbitrio, sed ex necessitate alluentibus, ad motum incitentur organa, & hæc vicissim in fluida agant, ita ut, quod hæctenus Mathematicis impossibile inventu, animale corpus revera perpetuum sit mobile, dum actus ipsius vitales semper in circulum redeunt, & quidem ad certum annorum numerum, pro cujusvis animalis natura differentem (†)

§. 18. Sed denuo instant, impossibile esse, principium movens materiale in rerum natura dari: nam *motum esse rem immaterialem*: Cum autem omnia in corpore humano & animalium mediante motu peragantur, ergo necessario supponendum principium movens Spirituale, cum omnis materia mere passive se habeat. Hæc quamvis videantur alicujus ponderis, nil tamen in recessu habent, utpote ex præjudicio & vana imaginatione pronata, quasi Summo Conditori non liceat, ex materia apta, tales machinas formare, quæ per se mobiles sint, ad certum annorum numerum, imprimis cum ipsis hominibus liceat ex materia Automata parare, e. g. Horologia, quæ per tot horas, imo hebdomades ac menses, motum continuare possunt, tanta artis nunc est dexteritas! Machinæ vero, quæ à fluidis moventur, in perpetuum continuare motum possunt, quamdiu vel fluidum, tanquam primum movens, sufficit, vel machina salva est; quarum exemplum molendina præbent, præcipue vero machinæ hydraulicæ, exantlandis ex Metallifodinarum profundo aquis dicatæ, concatenato per tot annos opere perseverantes. Ut proinde minus mirum sit, animalia per plures annos vivere ac moveri, fluidis, per vasa sangvifera ac nervos, perpetua serie allabentibus: quorum copia si forte hæmorrhagiis, vulneribus, aut aliis morbis imminuitur, alimentis tamen ac circumfluo aëre continuo refarcitur. Nescio autem quid sibi velint, cum dicunt, motum esse rem immaterialem, cum nemo Philosophorum unquam hæc locutione, sit usus: Motus enim non res est, sed

E

affe-

(†) Vid. Ill. Verulamii, Libr. de Vita & morte.

affectio rerum seu corporum naturalium, adeoque non est ens
 per se subsistens ; hinc etiam τὸ immateriale de ipso prædi-
 cari nequit. Licet enim motum in abstracto concipere possim,
 non tamen ipsi prædicatum illud convenit : omnia enim
 Axiomata, omnes Propositiones universales, aut entia rationis,
 immaterialia quidem sunt ; Verum enim vero, quis un-
 quam universalem illam, *quod tibi non vis fieri, alteri non*
facias, rem immaterialem vocavit ? sic etiam, quis Effer-
 vescentiam, Displosionem pulveris pyrii, Digestionem
 licet in abstracto considerari possint, res immateriales voca-
 bit ? sunt tamen species motus. Præterea, quis unquam
 motum observavit sine materia ? sic Effervescentia est ebulli-
 tio cum strepitu, ex conflictu duorum salium, acidi nimirum
 & alcali, aut ex metallorum, liqvore corrosivo, solutione pro-
 nata. Et sic in cæteris motus speciebus, nullum exemplum
 occurret motus, sine materia, ita ut propterea motus sit pro-
 prium corporum, & materiale ac mobile, unum idemque. Sed
 posset quodammodo tolerari hæc philosophandi licentia, nisi
 ex falso allatis axiomatibus conclusiones deducerent, genuina
 principia Philosophiæ æque ac Medicinæ destruentes. Post-
 quam enim motum rem dixerunt immaterialem, mox inde
 inferunt : *ergo in motu omni supponendum esse ens immate-*
riale, tanquam primum movens. Falsissimum enim hoc esse,
 quotidiana experientia ipsos edocere poterat. Certe in sali-
 bus, alcali & acido, dum mutua pugna effervescent, nullus
 residet spiritus immaterialis ; nec in musto, ac aliis hujus ge-
 neris liqvoribus, cum fermentationem & intestinum omni-
 um particularum motum concipiunt ; nec in pulvere pyrio,
 nisi externum Spiritum, Animam mundi Platoniam, Principi-
 um Hylarchicum Thomæ Mori, Archæum, aut alia ingenii
 figmenta, diu a naturæ peritis explosa, aut denique ipsum
 DEUM, *immediate* omnia moventem, introducere de novo
 quis velit. Quod ultimum, cum denuo repeto, nemini offen-
 diculo esse poterit, qui considerat, nos cum restrictione loqui.
 Dum enim Deum *non omnia immediate movere* asserimus (†) faci-

(†) *Vid. Supra. Cap. I. §. 4. & 5.*

le apparet, nos concursum Dei generalem non negasse, alias simpliciter dicendum fuisset Deum nihil amplius agere. Nolumus talem Deum Epicureum: quemadmodum id manifesto elucet ex §. 15. Cap. I. ubi concursum Dei cum in morali- bus, ac Politicis, tum etiam naturalibus defendimus. Verum exinde non sequitur, Deum agere *immediate*, & causas secundas five naturales esse *tantum accidentales*, ad quarum presentiam Deus admoneatur sui officii, ad quod vi Legum naturalium fit obstrictus, quod quidam Philosophorum statuerant. Certe qui fictionibus mentis non indulgere, easque manifesto sensuum testimonio preferre mavult, is facile perspiciet, volatum avium non immediate pendere à Deo, sed ab alarum remigio, evulsis namque alarum pennis, in altum se attollere nequeunt volucres. Ast ipsa hæc Machina à Deo est. Sic etiam in reliquis inutilis foret omnium corporum fabrica, quam Deus ipsis concessit, si effectus eorundem ipse immediate producere fuisset coactus. Præterea nullum inter effectus naturales & miracula intercederet discrimen. Sic quoque ipsam corporum durationem unice à materiæ conditione pendere, recte à nobis asseritur (†) contra eos qui durationem, *novam & momentaneam corporum reproductionem* volebant. Verum hanc materiæ conditionem creaturæ non habent à semet ipsis, sed à summo Conditore: Qui sicut creavit & ex nihilo produxit easdem, nuda voluntatis potentissimæ efficacia, ita quoque, cum eadem adhuc dum persistet, necessum est, ut quod semel introductum, permaneat, duret- que vices suas, divinitas constitutas, quemadmodum id §. 6. Cap. I. clarissimis ac perspicuis verbis docetur.

§. 19. Sed nimis longe à proposito nos abduxit hæc meditatio, itaque è diverticulo in viam redeundam. Scilicet in eo versamur, ut appareat, non *omnem motum presupponere Ens immaterialis*, adeoque nec vitales corporis humani motus ab anima rationali pendere: Sed dicunt Neoterici nostri: *In homine, ac animalibus, motus omnes fieri secundum rationem, & ob certum aliquem finem, propter finem autem agere, solis entibus, ratione præditis, compe-*

E. 2.

tere,

Vid. §. 4, Cap. I.

tere, ergo, animam rationalem esse unicum in corpore movens, quod omnibus operationibus praesit. Verum nec sic quoque se expediunt, 1.] enim hac ipsa distinctione concedunt, dari motus in corporibus naturalibus, v. g. effervescentiam, dislosionem à pulvere pyrio, aliosque plures, ex causis mere materialibus: adeoque perit universalis illa propositio, *omnem motum pendere ab ente immateriali*, 2.) non sequitur, omnem motum, qui propter certum finem instituitur, pendere ab ente rationali ac immateriali, immediate scilicet. Nam DEUS ipse, sicut corpora omnia in certum finem condidit, sic etiam eorum conformationem ita ordinavit, ac tam sapienter ipsis prospexit, ut finis iste ex necessitate, sive ex legibus naturalibus consequatur: ita ut necesse non sit, ipsis corporibus spiritum quendam immaterialem affingere, qui suo arbitrio motus istos ad finem dirigat. Apparebit illud denuo ex ipsa horologii contemplatione, nonne hujus motus instituantur propter certum finem, ut diem dispescat in horas, & horarum momenta? non tamen ipsi inest agens immateriale, sed lamina chalybea, aut pondus appensum, quæ primi motus rationem obtinent, reliquus vero omnium partium mechanismus determinat motum impressum, ut effectus respondeat artificis intentioni. Sic ergo & ipsa organica animalium, ac humani corporis conformatio, in causa sunt, ut effectus eveniant, intentioni Summi Conditoris convenientes.

§. 20. Ast excipiunt, *horologii motum semper esse uniformem, hominem vero & animalia, pro libitu se movere*. Sed 1.] apparet ex hoc exemplo, vanam esse assertionem, *quod omnis motus, propter certum finem institutus, pendeat ab ente immateriali*, adeoque non amplius constituere potest Principium Demonstrationis, nam ex puris particularibus nil sequi, etiam Logicorum pueri norunt. 2.] non nobis hic sermo est de motu corporis voluntario, seu locali, nam hunc ipsum ab anima rationali, in hominibus pendere, quis Medicorum negat, aut in dubium vocat? Est potius praesens disceptatio de motibus corporis humani naturalibus dictis, ut sunt *circulatio sanguinis, chylicatio, nutritio &c.*

Et c. Hi sane motus, seu actus vitales, nullatenus pro lubitu nostro exercentur, sed ferè uniformiter, ut horologii operatio, procedunt, quamdiu saluum est corpus, & quidem inscia anima rationali, & horum omnium penitus ignara; Agnoscimus potius ex hisce sapientiam Summi Creatoris, qui cum animalia, ipsumque corpus humanum condiderit, ut vivant, & ad certum annorum numerum perdurent, certis etiam machinis seu organis prospexit, ut finis iste obtineri, ex necessitate, quasi mechanica, queat: ut adeo non opus sit, ad causas obscuras, explicatu difficiles, *animam rationalem, ex procreati, sed tamen non cum ratione, sed secundum rationem, mox ne hoc quidem, est tamen rationaliter agentem*, & quæ sunt alia ingenii figmenta, confugere, cum vitales actus potestatem animæ rationalis longe superent, nec in hujus viribus sit, ventriculi imbecillitatem, vel languentem venerem, ullo excitare ratiocinio.

§. 21. Sed porro instant, *animam rationalem habere imperium in actus vitales: Ira enim, terrore, tristitia, & chylicationis negotium, & circulum sanguinis, insigniter mutari, ita, ut non morbi tantum, sed mortes repentina exinde contingant: id quod lubentes fatemur, sed ostendendum prius erat, affectus unice produci ab anima rationali. 1.) enim constat, & brutis familiares esse affectus, iram, terrorem, tristitiam &c. adeoque effectus esse animæ sensitivæ, quæ cum etiam in homine adsit, ipsi quoque & appetitui sensitivo adscribendi sunt, non animæ rationali, nisi in quantum illa consentit, & abripi se patitur: quo facto, affectus in homine longe graviores redduntur, ac magis diuturni, majorique studio exercentur, quam in brutis. 2.] notum, & affectus in prudentioribus exurgere, invita anima rationali, ita ut hæc manifesto obsistant motibus istis: non enim nunc loquor de gratia Spiritus Sancti, illuminatis concessa, sed de principio rationis insito, quo mediante & ipsi Ethnici affectibus obsistere, eosdem refrenare, & animi fluctus compefcere didicere. 3.) Constat alios homines in hocce, alios in illos affectus magis esse proalives, quod sane ab anima rationali esse nequit, sed a naturali corporis ac fluidorum dispositione. 4. denique ipsa*
 E 3 ctas

ætas & morbi testantur, affectus hominum esse mutabiles, non aliam ob causam, quam quod ipsa dispositio corporis, cum ipsa ætate aliquid mutationis patitur, nam ipsam animam rationalem mutabilem esse, quis cui sana adhuc mens est, asserere audeat. Cum itaque affectus pendeant potissimum ab illa anima sensitiva dicta, quæ motui immediate præest, quæque tunicas ventriculi, intestinorum, ipsumque cor, ac reliqua organa, ad actus vitales necessaria, in motu conservat, non mirum sane est, si pro affectuum diversitate, aut eorum gravitate, diversæ quoque in actibus vitalibus contingunt mutationes.

§. 21. Cum itaque ex adductis sufficienter constet, animam rationalem non constituere Naturam humanam; nec principium movens esse actionum vitalium, inconcussa merito perstat recepta hæctenus sententia, Naturam humanam consistere 1.) in apta corporis totius, omniumque partium conformatione, & quidem tali, quæ actibus vitalibus seu naturalibus, ac voluntariis, respondet. Cum autem sola machina non sufficiat, sed requiratur, ut vivat; hinc 2.) necessaria est anima, seu liquor vitalis, sanguinis nomine veniens. Quandoquidem autem & vivere partes corporis possunt, sine sensu ac motu, quemadmodum id ex paralyfi apparet, facile elucet, requiri 3.) animam sensitivam, seu fluidum subtilissimum cerebri ac nervorum, æreæ æthereæque indolis, unde nec in conspectum venit hoc ipsum, nec manibus palpari potest, quemadmodum id quidam desiderant: Multa enim sunt quæ non immediate sub sensu cadunt, sed per effectus tantum dijudicanda. Certè, per nervos transmitti ad partes subtilissimum materiale fluidum, exinde satis apparet, quoniam anima rationalis, tanquam Spiritus immaterialis, in paralyfi non posset impediri, quo minus sensationem & motum in parte affecta exercent. Quod autem isti hic in excusationem afferant, animam rationalem se ex proæresi subduxisse, & deseruisse partem, & ex hac desertione paralyfin produci, tam alienum à ratione

one

one est, ut refutatione indignum sit. Itaque fluidum illud cerebri & nervorum necessario admittendum, hinc enim est, quod nullum animal, ipseque homo, sine aëris libero usu vivere possunt: Nam quamvis sanguis sit immediatum vitæ principium, aër tamen, & subtilissimum nervorum fluidum machinas istas, quæ sanguinem propellunt, elastica sua virtute ad motum concitant: hinc obstructo nervo aut ligato, motus partis, ad quam pertinet nervus, statim perit. Cum autem tale organicum corpus à brutorum machinis non fuisset diversum, nisi quoad figuram externam, Summum autem Numen in sui imaginem hominem conditum vellet, hinc 4.) machinam hanc, omnium animatorum nobilissimam, pulcherrimamque, anima rationali prospexit, adeoque hæc ipsa ad Naturam humanam omnino pertinet, sed tantum abest, ut eam absolvat, quin potius organica corporis dispositio multa sine anima rationali peragat, hæc vero sine corpore, quamdiu ipsi alligata est, nil possit.

§. 23. Est ergo *Natura humana lex divina perpetua corpori humano à condito mundo indita, secundum quam omnes operationes, quæ ipsi naturaliter competunt, exercentur, in combinatione anime rationalis cum corpore organico consistens.* Legem dicimus naturam, quoniam Philosophi causas rerum naturalium sub legum naturalium nomine exprimere consueverunt, & nullum aliud genus reperitur, quod naturam feliciter exprimit. Que modo admodum enim leges ad conservationem Reipublicæ faciunt; sic leges naturales ad conservationem corporum naturalium, ipsiusque generis humani, conferunt. Deinde perpetuæ esse debent leges civiles, cum publicæ, tum privatæ, à quibus salus reipublicæ pendet, suamque efficaciam habent ex Summi Imperantis voluntate; itaque & leges Naturales perpetuas voluit Summum Numen, talesque perseverabunt, quamdiu eadem permanet potentissima ipsius, ac summe efficax Voluntas. Præterea sicut leges civiles non gaudent virtute activa, determinant tamen actiones subditorum ad finem, à Legislatore intentum; sic quoque leges naturales proprie, non agunt, nec movent, sed moventis impetum determinant

nant

nant, ad finem, a DEO præscriptum. Non autem scriptæ sunt, sed potentissimo ipsius digito rebus impressæ, ita ut quodlibet corpus talem materiam, talemque formam, seu organicam dispositionem obtineat, quæ ad producendum finem sunt aptissimæ. Porro Respublica turbatur, aut evertitur penitus, si legum nulla ratio amplius habetur, seu intestinis dissidiis id fiat, seu externa vi pessundentur. Idem quoque accidit in corpore humano, nam œconomia ipsius læditur, actus vitales turbantur, aut tolluntur penitus, si vel fluida non rite per totum corpus moventur, vel ipsa organa vitium ceperint, laxatis nimium earum fibris, canalibusve, aut arctius constrictis, vel dilaceratis iisdem, aut erosis. Tandem denique ubi Respublica, si sat virium ipsi superest, animos denuo sumit, vim vi repellit, turbarum autores exturbat, motus excitatos confopiscit, legibusque suum restituit honorem; sic etiam corpus humanum, si vires adhuc constant, i. e. si omnes partes ad vitam necessariæ adhuc rite sunt constitutæ, & secundum leges naturales sese habent, resistit morborum causis, ita ut istæ, cum sanguis in circulum raptæ, per poros cutis, per renes, aut alvum, qua data porta expellantur; id ipsum vero quod vulneratum est refarciatur, & quidem mediante glutinoso humore, qui est ipse sanguis, maximam partem ex glutinoso constans. Quemadmodum enim exinde omnes partes in utero concresecunt, & postmodum per totum vitam nutriuntur; sic etiam eo ipso conglutinantur, cum continui passæ sunt solutionem. Nam huic soli, non animæ rationali, vulnerum consolidationem deberi, exinde elucet, quod in iis, qui humorum laborant acredine, ulcera vel difficulter, vel nullam plane admittunt medelam, nisi medicamentis vitium humorum prius sit correctum. Sed hæc de Natura humana sufficiant.

